

Au dernier feuillet (r^o et v^o), on lit cette autre épître :

*Georgius Trapezuncius Colæ Montano suo
salut. dic. plur.*

Peregi quod tam multis præcibus a me postularas, fili mi optime, ut de quattuor partibus orationis indeclinabilibus Compendium ex Prisciano conficerem : quod, etsi laboriosum mihi arduumque nimis ob senectutem meam videbatur, iam enim, ut nosti, neque litteras formare vacillanti manu, neque volumina euoluere sine ingenti labore valeo, tamen non existimaui posse me effugere nomen impietatis, si tibi omnium quos aut vidi unquam aut audiui aut legi maxime pio quidquam denegarem præsertim tam honesta petenti.

Profueris enim hac Compendii exactione non solum iuuentuti Mediolanensi de cuius virtutibus et disciplina sollicitus hoc mihi onus imposuisti, sed cæteris quoque latinæ linguæ studiosis, neque tantum in hoc Compendio, verum in aliis etiam operibus quæ olim a me suscepta, deinde tedio senectutis et ingratorum odio intermissa, nunc toto animo meo tua pietate recreato ad communem utilitatem perficientur, me vero destituti operis infamia liberaris : quod ego cur imperfectum deseruerim nihil aliud video nisi Deo ita volente ut, cum quattuor partes ad Andream filium meum scripsissem, reliquæ superessent quattuor, quas ad te scriberem, quem nec minus amo quam ipsum Andream, nec minus filium existimo. Illius enim corpus mortale et corruptibile ex meo corpore genui, tuum vero animum ex meo animo, quod multo plus est, impressi ac formaui, ut, quod de Ioue atque Minerua poetæ fabulantur, tu de meo capite quodam modo natus et videri possis et credi cupias. Vale.

Data Romæ, iv kal. nouembris M. CCCC. LXXI.

Bibliothèque nationale de Paris : Inv. Rés. X 4577.

